


DISSERTATIO
INAUGURALIS
MEDICO - THÉRAPEUTICA
DE
Typho Contagioso,
QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
MAGNIFICI DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS
SPECTABILIS DOMINI DECANI
ET TOTIUS
INCLYTAE FACULTATIS MEDICAE
DOCTORATUS MEDICINAE GRADU
IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,
RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS
IN REGIA SCIENTIARUM
UNIVERSITATE PESTIENSİ
PUBLICAE DISQUISITIONI
SUBMITTIT
Leopoldus Gerber,
Hořitziensis Bohemus.

In theses adnexas dispútabitur in palatio universitatis
majore die Novembris 1831.

PESTINI,
TYPIS TRATTNER - KÁROLYIANIS.

Ins Innere der Natur dringt kein erschaffener Geist;
Nur allzuviel, wenn sie die äussere Schaaale weist.

Haller.



SEINEM

INNIGST GELIEBTESTEN FREUNDE

E. MÄDCHNER,

A U S
UNBEGRAENZTER DANKBARKEIT

WIDMET
DIESE BLAETTER


der

Verfasser.

IV

HOC DILECTO UNIVERSITATO TRIBUAT

Unumquemque oportet in hoc studio versatum symbolum aliquod atque exiguum, in communem Medicinae aerarium contribuere.



Duncani oratio de laud. Harvei

Praefatio.

Vanum esse tirones propositum ac desiderium, penes tantam virium, scientiarum nec non propriae experientiae penuriam, in emolumen-
tum artis medicae, aut novi aliquid inveniendi
aut prorsus inauditi proferendi, sincere omnino confiteor. Grave hinc munus auctoris literarii
in me suscipere haud quaquam auserim, ni lex
academica, cuique Lauream Doctris Medicinae
adspiranti arduum imponeret officium, singulam
quandam materiam ex ubere medicinae pena
depromptam tractare, eamque publicae disqui-
sitioni submittere. — Ut ergo gravi huic et haud
facile expletu officio, quantum pro teneris meis
viribus fieri potest, et ego satisfaciam, de apta
aliqua huicque scopo quam maxime conveniente
materia, e tam vasto immanique medicinae
campo seligenda, dudum jam cogitavi, diuque
mente revolvi, donec tandem pro themate Dis-
sertationis meae Typhum contagiosum selegi,
eo ex motivo, quod eundem observandi occa-
sionem, in Nosocomio Civili et Militari Vind-
bonensi, sub curriculo studiorum meorum
habuerim amplissimam.

Num vero hoc modo scopum dissertationis
meae attigerim, nec ne? Tibi Lectori Benevolo
committo, illudque tamen exopto, ut conatus
meos cum severitate dijudicare nolis, haud
immemor, quemcunque primum literarum tra-
ctatum, modo inevitabili, pluribus scatere mendis.

Si tamen conamine hocce imbecilli, ad
cognitionem circa objectum tractatus mei am-
pliandas, quidpiam contribuero, id non mihi,
sed viris iis potius Celeberrimis, uti Hildenbrand,
Hartmann, Raimann, Bischoff, Armstrong,
Percival e. p. a. tribuendum est, quorum clas-
sica de hocce objecto edita opera, largos mihi
aperuerunt fontes.

Suscipe hinc Lector Benevole primitias
hasce pagellas aequo animo, neque indulgen-
tiam tuam recusa.

Dabam Pestini Mense Novembri 1831.

Auctor.

Denominatio.

Typhus contagiosus, bellorum ac miseriarum fidus
assecla, a Graeco τύφος: stupor, et ab effectu conta-
giosus nunc nominatur. Vocabatur etiam febris Hun-
garica, Pannonica, quoniam Anno 1516. in exercitu
Imperatoris Maximiliani II. ad Comiaromium saeviit.
Dein Castrensis, Navalis, Carcerum, Nosocomialis
audiit. Hippocrates eum typhum nuncupavit; Germ.
Ansteckender Typhus, Ansteckendes Nervenfeber,
Ansteckendes Fleckenfeber, Spitals- Kerker- Schiffs-
Lagerfeber, Kriegspest; Gall. La fièvre contagieuse,
la fièvre pourprée, la fièvre pétechiale, la fièvre d'Hon-
grie; Angl. the typhous Fever; Hungaris; Ragadós
Hagymáz.

Definitio.

Typhus contagiosus juxta mentem Celeberrimi ab
Hildenbrand est morbus febrilis exanthematicus conta-
giosus sui generis, cuius symptomata essentialia ab
initio in febri simplici inflammatorio — catarrhoa aut
gastrica — serius vero in febri nervosa cum delirio,
stupore, peculiari exanthemate et eminenti hepatis
adfectione fundantur.

Divisio typhi.

Inter divisiones morbi cujuscunque illa praepacet,
quae maximum includit valorem practicum. Hac ex
ratione summum respectum illa ex modo originis de-
prompta meretur; qua ratione typhus dividitur:

I. in primarium et

II. contagio productum.

I. Primarius et sporadicus plerumque decurrens
typhus ille dicitur, qui nunquam ex contagio et in ho-
mine alias sano, verum semper ex alio quodam morbo

febrili sub certis rerum circumstantiis evolvitur, evolutus vero per contagium quod nunc excludit ad alios ultra quoque transplantatur. Quae vero qua causae occasioneles, ortui typhi primarii faventes, a variis adducuntur auctoribus, minus essentialia praebent momenta, et revera veterum ingenia veritati propriora, causas nimirum typhi primarie evoluti in constitutione aeris quaerenda, effectusque ejus primarios morbosos ad outim magis quam tubum intestinalem referebant, nervosam vero affectionem minus quam par fuit, evanescit.

Minderer, Monro, J. Pringle, et plures alii nostram attentionem in noxes effluviorum et exhalationum dirigebant. Et prosector hic tonsunicus miasmatis typhosi et ulterioris ejus disseminationis quaerendus. Plura circa existentiam et genesis typhi primarii sporadici nobis tradidit medicus Pet. Schneider in suis adversariis medicis practicis^{*)} qui et de natura morbi ejusdem memoratu dignam aduecit admonitionem, dicens: *Essentia morbi typhosi consistit in phlogosi specificae indolis, sub qua sanguis dissolutus et crassi peccans, vasa derelinquens, ochemico quasi modo systema nerveum et imprimis medullam spinalem inundat. Ratio medendi auctoris hujus sat clare demonstrat, illum rectam de intima typhi natura habuisse ideam.*

II. Typhum per contagium productum eum dicimus, qui in homine sano, absentibus omnibus causis ejus generi faventibus, per contagium, ab aegro typho laborante elicium, oritur, et qui per idem in corpore aegrotante regeneratum miasma typhosum ad alios vel mediate, vel inmediate ultra quoque propagari potest.

^{*)} Mediz. prakt. Adversarien am Krankenbett; gesammelt von Pet. Jos. Schneider, Salzburger Zeitung Nro 73. d. 10. September 1827.

Alia desumitur morbi divisio ex decursu, cuius gratia dividitur in

1. regularem

2. irregularem et quidem

A) respectu complicationum

- a) cum inflammationibus localibus,
- b) cum gastrismo,
- c) cum statu putrido.

B) Respectu temporis, quo duratio plus minusve a norma deflectit.

Symptomatologia.

Dirae huic et fatali morbo, puro e contagio nempe orto, Nobilis ab Hildenbrand octo assignat Stadia, distinctis notata signis, utpote:

- 1. Infectionis, 2. Opportunitatis, 3. Invasionis,
- 4. Inflammatorium, 5. Nervosum, 6. Criticum, 7. Decrementi, 8. Convalescentiae.

1. Stadium infectionis.

Paucis, ut probabile est, momentis durans, aut nullis, aut dubiis saltē stipatur symptomatibus, quare momentum istud infectionis cum certitudine assignare nunquam, neque in aegri neque in medici erit potestate.

2. Stadium opportunitatis sive prodromorum.

Praeter coenesthesiain alienatam magna observatur in aegris lassitudo, morositas, inquietudo, somnus fugax, haud reficiens, irritabilitas major, tentatio capitis cum vertigine saepius recurrente, sensus oppressionis et gravedinis in scrobicolo cordis, halitus ex ore foetens, ictus dolorifici electricorum instar membra repente invadentes, artuumque tremor. Duratio hujus stadii exacte determinari nequit, ut plurimum per tres, rarius per septem extenditur dies.

3. Stadium invasionis seu initium febris.

Prodromis vix enumeratis praegressis, stadii tertii symptomata febrilia in lucem prodeunt; subito enim nplurimum vespertino tempore, horripilations juxta longitudinem spinae dorsi excurrentes, intensitateque semper incrementantes aegrum corripiunt, sequitur mox frigus validum per sex usque duodecim horas alternans cum calore febri, ininterrupte tandem persistente. Post brevem hujus stadii durationem sequitur.

4. Stadium inflammatorium seu inflammatorio-eatarrhosum. *)

Sub hocce stadio omnia adsunt symptomata febrim inflammatorio catarrhosam testantia, uti: Calor turgorque vitalis aductus, cephalaea premens, susurus aurium, oculi rubentes, splendicantes; nares ab initio perviae cum sero limpido effluente, labia brunescunt, lingua humida mucoque albido obducta; canum oris rubrum; uvula ac tonsillae saepissime tument, deglutitio difficultis. Tussis cum sputis partim tenacibus, partim spumosis, apetitus denegatus, anorexia, nausea, vomititiones, interdum vomitus ipse biliosus cum levamine nonnunquam; sitis inexplebilis in frigida et acidula directa; color faciei plumbeus, nimia capitlis gravedo, vertigo, temulentia, totaque facies aspectum peculiarem hominis inebriati haud assimilem praese fert; cutis turget et transpirat. Pectus oppressum, respiratio difficultis, saepe sonora; regio scrobis et hypochondriaca tument ac tenduntur, imprimis vero regio hepatica, sub ejus conrectatione dolores percipiuntur.

*) ab aliis stadium exanthematicum, irritativum, ebullitionis nominatum.

majores, obtusi. Dedolatio augetur, juncturae minuum, femora et surae dolent; in regione sacrali debilitas paralytica et dolor. Alvis ab initio fere naturalis, clausa tamen magis quam fluxa, nonnunquam vero copiosa. Urinae parcae et rubrae, sub mictu dolentes, saepe aegri vera laborant ischuria; pulsus non adeo frequens, sed celer, durus, fortis, plenus, plerunque suppressus, aesi arteriae vis desiceret, sanguinis torrentem ulterius promovendi. Psyche languet, aeger segnis et piger, vim quidem possidet situm mutandi, sed admonitus tantum magna cum virium intensione ac celeritate quadam inconsueta se movet. Molestum jam, linguam porrigere, ad interrogata respondere, vel quid petere, sic sitim libentius perfert, quam ut potum rogare velit; potum vero porrectum avide haurit, imprimis acidulum. Ad interrogata inepie respondet, iners ad recte cogitandum. Somnus brevis et insomniis turbatus, non reficiens. Aeger continuo situm dorsalem praediligit, capite reclinato, lectuloque impresso. Praegressis hisce enumeratis symptomatis tandem tercia aut quarta hujus stadii, sive septima aut octava post invasionem die, peculiare comparet exanthema, tanquam characteristicum hujus morbi symptomata, purpura nempe typhosa, primo in collo, dein in pectore et dorso, mox vero in universo corpore, ne facie quidem excepta, erumpens. Consistit vero hocce exanthema typhosum in maculis parvis laete rubris, supra cutim vix elevatis, irregularis figurae cum margine quasi lacero, suntque maculae hae pulicis morsibus haud assimiles, nunc majores, nunc minores, lentis magnitudinem tamen raro excedunt, nunc confluent, nunc segregatae manent, cutimque marmoris adinstar variegatam redundunt, nec dolent, nec calent, nec pruriunt, sub digit pressione disparent, hac vero cessante, iterum revertuntur; in casu rebelli nigrescent. — Inter singulas maculas emicant rubrae et albae, nitidae prominentes

papulae; miliaria. interdum sudamina; eruptionem non raro epistaxis cum levamine cephalae annunciat. Eruptionem hanc magni esse momenti dum statuto tempore compareat, in multis aegris, in Nosocomio universalis Vindobonensi, typho contagioso decumbentibus, cum aliis comprobatum vidi; — regularem enim morbi decursum prodit, et affectiones inflammatorio — catarrhosas profligat; hocce respectu ergo exanthema istud merito vere criticum dicendum est. Stadium hocce plerumque per septem durat dies. Ultima die febris judicatur. Praegressa enim ad vesperas diei sextae manifesta exacerbatione cum subsequente sudore largo et urinis hypostaticis, septima die magna sequitur omnium symptomatum remissio, adeo, ut aeger se jam morbum gravem superasse gratuletur, dum repente eadem adhuc die tota morbi scena mutatur per introitum symptomatum characterem nervosum testantium.

5. Stadiū nervosum.

Symptomata inflammatoria cum apparenti quodam levamine sensim dispareti, febris tamen symptomata increscunt; exanthemate utplurimum residuo, magna virium prostratio appetit. Passio cerebri, totiusque systematis nervosi affectio prae ceteris eminet; magnae nunc exoriuntur turbae; secretiones serosae imminuntur; cutis arescit, calorem spirat intolerabilem, moradecem. — Oculorum infringitur vigor, truces vel moesti flavificant; exsiccantur cava narum, fuligine obducuntur; labia sicca, brunnea, lingua evadit scabra, sicca, fissa, coloris profunde rubri, carni fumo induratae, haud absimilis; cavum oris et faucium exiccatur, deglutitio difficultior ob defectum muci lubricantis. Sitis imminuta appetit, silentio appetitu; tussis disparet, respiratione citata, hinc pulsus frequentiores, fallaces,

verum statim virium non indicantes. — Nam maxima sub debilitate universalis durus et plenus non raro tangitur. Incertum revera sistit pulsus in typho symptomata. Vesperi morbus exacerbationes luculentas celebrat. Alvis ruit frequentior, aquosa, foetida. Insurgentibus his symptomatibus et meteorismus non rarus. Urina copiosior, pallidior, imo nonnunquam aquosa; somnus brevis, inquietus, soporosus, vel continuus. Aucta debilitate universalis, nervosa nunc magis evolvuntur symptomata: tremores manuum, linguae et labiorum, spastici motus palpebrarum et muscularum faciei, singultus, subsultus tendinum, spasticae contractiones colli vesicæ. surditas et languor functionum sensuum reliquorum. Stoliditas insignis, indifferentia erga res externas; deletio affectuum gratorum, amoris, sui ipsius insensibilitas. Indecore decumbunt aegri, urina sua polluti, muscis obsessi, divaricatis cruribus. Sensus hinc externi magis obfuscati; adest visus obnubilatio, tinnitus et susurrus aurium; barycoia pertinax; gravedo capitis, vertigo. Sensus vero internus vivacior, phantasmata varia, fugacia. Per vigiliū nocturnū; — Aegri occupati, mox blandis amoenisque laetantur rebus, mox vero tristibus et terribilibus anguntur ideis et presso jacent animo. Non raro e lecto prosiliunt, periculum quoddam imaginatum effugere cupientes, vel suos invisendi cupidine tracti, vix detinentur in lecto. — Altera hujus cycli septenarii medietate, consuelo vehementior exoritur exacerbatio vespertina. Facies magis rubet, deliria frequentiora. Statu hocce ad mesonyctum plerumque perdurante crisi adparet imperfecta, se per sudorem et urinam copiosorem manifestans; non raro oritur diarrhoea, vel levans epistaxis. Hanc crisi imperfectam sequitur non diu durans remissio. — Mox vero intrant vi adhuc majori nervosa symptomata: muscarum captatio, subsultus tendinum, tremores artuum. Sitis in hoc studio in-

tensissima, lingua utplurimum secca in medio fissa, dentos muco fusco conspureati, incisivi a labio superiore sursum tracto non amplius teguntur; dolor in abdomen admodum tenso, pressione adaugendus; pulsus nunc parvus suppressus, variabilis, raro vero debilis; alvus utplurimum nunc diarrhoica; urina profundius flava cum enaeoremate. Exanthema prima hujus stadii medietate disparet plerumque, perstans vero sub stadio nervoso coerulescit, vel maculae cinereae, violaceae vel nigrae adparent; petechiae vel vibices periculum majus portendentes. Rarissime fit, ut sub hoc stadio exanthema urticario simile, ephemерum prorumpat. Ceterum non semper contingit, ut symptomata hucusque ennarata omnia adsint, sed variant pro varia hujus stadii modificatione. Duratio vero hujus stadii atplurimum est 7, rarius 14 dierum. Praegressa majori vespertina exacerbatione, tunc hujus stadii nervosi, 14to morbi die ingruit.

6 Stadium criseos.

Crisis haec salutaris, saepe saepissimae, magna cum elevatione universalis repente intrat, aegrumque summo sub vita pericula versantem, uno quasi ictu ex orci fauibus eripit. Manifestatur vero sequentibus symptomatis: Circa morbi diem, uti dixi 14. cutis prius secca emollitur, et vaporosa redditur; sudor universalis calidus, vaporosus, magno cum levamine, primo in facie, dein in reliquo corpore, ab initio moderatus, mox vero copiosus e cute promanat, odore peculiare verbis vix describendo stipatus, subinde tamen acidus est odoris. Crustae atrae linquam, fauces cavumque narium obvestientes decidunt, linqua pura ac humida adparent.

Altera et frequentissima via excernendae materiae criticae est per alvum. Haec saepe pertinaciter constipata, nunc ruit, faeces sunt copiosissimae, foetidae,

pultaceae, fluitque magno cum aegri levamine. Urina alias pellucida, nunc facile citoque turbida redditur sedimentum copiosum nunc mucosum nunc vero latericum deponens.

Nonnunquam evacuatio critica per epistaxim eamque largam, insigni cum levamine contingit. Facies componitur, rationis et memoriae usus, morbo penitus subtractus, iterum mox restituitur.

Cum sudoris eruptione, non raro miliariria comparent cutis desquamatione secedentia. Hinc inde simul furunculi copiosi, molesti, dolofici diuque durantes. Stadium hocce admodum breve esse solet; saepissime intra horam, rarius intra 6—12 absolvitur horas.

Criseos breve stadium excipit

7 Stadium decrementi.

Stadium istud iterum cyclum 7 dierum utplurimum amat. Systema nervosum primum est, quod in hoc studio immutatur. Aeger ut ex gravi insomnio evigilans Physiognomiam serenam et conscientiam sui saepe plenariam illico exhibet; interim tamen haec conscientia in longe plurimis casibus nonnisi imperfecta est, et hallucinationibus sensuum externorum ac internorum primis praecipue noctibus intercedentibus turbatur. Indifferentia tandem sublata, animus mundo externo sibi novo, summo cum dulcedinis sensu delectatur. Affectus praesertim gratitudinis et amicitiae intimum percancellunt animum. Circulatio in aequilibrium reponitur, profigatur febris, pulsus nunc fit tranquillus, liber, rhythmo et tempore aequalis, pectus liberum, diaphoresis lenis partes cunctas emollit, sitis extincta, lingua adparent humida pura. Sensibilitas organi auditus exaltata perficissima est; strepitus minimus, toni animum demulcentes ingratissime hunc sensum afficiunt. Appetitus insurgit, aegerque instinctu quodam proprio ad nutri-

mēta fortur roborantia, jura expedit carnosā, potum vinosum.

Duratio hujus stadii varia est, dependet enim a vehementia morbi praegressi, a complicationibus, a crisi perfecta vel imperfecta et ab individualitate subjecti, Plerumque tamen vix ultra 5—7 percurrit dies.

Transitus ex hocce stadio in stadium morbi ultimum, seu in :

8. Stadium Reconvalescentiae,

non est adeo distinctus. Vis vitalis in omni sphaerae evehitur, organismus robatur, vires imminutae refocillantur; cuticula decidit forma furfurum vel laciniarum majorum, novaque resarcitur epidermis. Depluant capilli post mensem unum alterumve et regenerantur unguis; evigilat instinctus sexualis, non raro tumultuose, fuitque reconvalentes proclives in amorem et plerumque salaces sunt. Ingens nonnunquam appetitus in veramabit voracitatem. Cum physicis et psychicae restaurantur vires. Juniora individua alacrius capiunt incrementum, viri et senectuli obesi fiunt.

Duratio hujus stadii admodum diversa est, a plurimis enim dependet circumstantiis, mox brevis, mox per hebdomades, imo per menses senepe integros excurrit.

En imago typhi contagiosi regularis.

Aliter typhus sese manifestat sub decursu irregulare, varias et multimodas induit modificationes; Innumeris vero dari hujus morbi modificationes, descriptio-nes docent; his enim constat, typhum contagiosum in qualibet fere epidemia aliam atque aliam prae se tulisse imaginem: Nunc morbus adeo lenis est, ut aegrum ad lectum petendum vix cogat, nunc iterum vel sub stadio inflammatorio, vel sub stadio urvoso adeo vehemens, ut plerumque lethalis fiat — nunc character inflamma-torius absque symptomatibus gravioribus nervosis ad crisim usque perstat — nunc vero character nervosus

a prima morbi die praevalet; nunc vero character nervosus in patridum abire amat.

Exanthema porro typhosum, nunc ocius, nunc serius prorumpit — longioris minorisve temporis spatio perstat, estque vel purum, vel cum petechiis, miliaris aut sudaminibus intermixtum. Crisis ipsa nunc repente sequitur, intraque paucas absolvitur horas, nunc vero nonnisi lentissime contingit et per plures dies aut septimanias extenditur — nunc 11 morbi die ingruit, nunc vero 17—21 imo 28 nonnisi die intrat — nunc evacuationes criticae omnibus viis naturalibus, nunc vero una ulterave saltem harum sequuntur. Rarissime tamen sudores deficiunt. Idem valet de reliquis stadiis quae multas quoque anomalias exhibent.

Saepe typhus cum inflammationibus localibus incedit, unde faciem varie mutantam offert; non datur organon, quod typho irregulariter recurrente non inflamatum esse non possit. — Frequentem vero complicationem, praebet inflammatio meningum vel ipsius substantiae cerebralis, cuius causae maxima ex parte quaerendas:

a) in constitutione peculiari cerebri et capitis aegri; Monentibus Rolfinck *) et Morgagni **) capitis deformitates ad encephalitidem praedisponunt.

b) in Congestione habituali caput versus; suppressae epistaxes narium, menses suppressae; haemorrhoidalis fluxus silens, venesectiones alias, solennes non reiteratae institutae ad encephalitidem momentum praebent disponens.

c) Non minorem culpam gerunt noxiae ab extus venientes. Non infrequens est typhi consortium cum pneumonia, et inflammatione hepatis; tristissimam vero complicationem offert enteritis.

*) Ord. et method. cognoscend. dolor. capit. Lit. II. Sect. 2.

**) L. c. Epistola I. 15.

Porro typhus contagiosus sub' stadio nervoso anomalous, vel mere observatur nervosus, vel putridus, prout nimirum systematis nervosi affectio praeponderat, vel vero unacum prostratione hujus systematis simul reproductio labefactata, resolutio organicae compagis, colliquationesque materiae unacum incedunt.

Typhus vero nervosus iterum duplex esse potest, nimirum: vel versatili cum deliriis ferocibus, receptivitate et sensibilitate organismi adaucta; simulque cum nimia et actuosa reactione contra impressiones exterhas stipatus; vel vero stupidus, sub quo cum receptivitate imminentia, simul etiam reactio contra stimulos externos languet, unde aegri trunci adinstar decumbunt, summa detenti sonnolentia ac stupore. Priori sub forma, typho nimirum versatili, delirium observatur frequens vaniloquii continuis hinc inde jocosis stipatum, aegri sunt loquaces et admodum agiles. Systematis muscularis motus frequentes et inordinati, nimis citati; vultuositas, obauditio et surditas; frequens in hac forma subsultus tendinum, tremores, ericidismus, floccorum et muscarum venatio; pulsus frequentes, parvi, debiles.

Typhus stupidus frequentissimus. Initiate jamjam stadio altero, gravitas corporis observatur plumbea, indifferentia summa contra impressiones externas, dysaesthesia, susurrus, verba voce tremula prolati, incerta; oculi fixi, trices, palpebris clavis vel semi-apertis, sanguine suffusi, sitis tantalea, linguam fere ex ore promovendi impossibilitas; meteorismus, constipatio alyi; subsultus tendinum, corporis ad inferiora drecti lapsus, crura divaricata; pulsus inconstans, variabilis, mox frequens et celer, parvus debilis, inox plenus; elevatus.

Typhus putridus delirio insignis, faciei colore lurido; oculorum livore, lingua fissa, atro tegmine obducta; anima foetente. Cutis est mollis, flaccida,

sudore viscido irrorata, decubitus frequentes in regionibus vel minime pressis; meteorismus, diarrhoea frequens, dejectiones alvinae copiosae, olidissimae; urinæ turbidae. Homorrhagiae frequentes, imprimis enaribus; — fluidus dissolutus sanguis; — pulsus frequens, debilis, mollis, parvus; — En symptomata typhum characteris putridi communicantia.

Terminationes typhi.

Typhus prouti et quilibet aliis morbus vel in sanitatem, vel in alias morbos transit, vel vero morte terminatur.

I. In sanitatem. Transitione typhi in sanitatem more aliorum morborum non nisi praegressis evacuationibus criticis supra expositis fieri, cuique medicorum notum est.

II. In alias morbos.

Facile explicatur exitus typhi in alias morbos, si frequentes inflammationes respiciamus locales, quae unacum typho incedunt. Plurimae terminationum quae sequelaæ harum inflammationum sunt considerandæ. Taliæ metstatico contingunt modo. Inter communissima mala pasthuma referenda veniunt: Amnesia, fatigas, sensuum vitia, visus hebetudo, surditas, susurrus, vertigo. Variæ affectiones derelinquunt organorum pectorie et abdominis, uti: asthma, phthisis, cardiotonus, haemoptysis, indigestio habitualis, cardialgia, infarctus hepatis, lienis, mesenterii et uteri, ex quibus deducentia hysteria, hypochondria, icterus, hydrops, haemorrhoides, menstruationis anomalies, chlorosis, tabes.

II. In mortem et quidem ex vis vitali a exhaustione per praegressas vel sub morbi decursu accidentes noxas debilitantes, inter quas recenserit merentur evacuationes sanguinis, diarrhoeæ colliquative, sudores profusi, vehementia febris summa, et reactiones organismi rebelles ac inordinatae; mors ex

hisce causis omni momento sub quovis ejus stadio supervenire potest. Nonnunquam vires cito labuntur. Vis contagii in febri maligna concentrata reproductionem substantiae nerveae per eminentiam adgrediens vitam e radice evellere videtur; Weinhold *) nimirum in cadaveribus typho extinctorum invenit neurilema relaxatum, substantiam medullarem emollitam, friabilem, in lactiformem laticem mutatam, quod et ego sectione cadveris tyyhos comprobatum vidi.

Mors porro contingit:

2. Per apoplexiam, vel nervosam vel congestivam. Exacte eventum huncce per apoplexiā congestivam descripsit Wedekind in opere suo. **)
3. Mors non raro in typho paratur per infelicem exitum inflammationum symptomatricarum organorum cavi pectoris et abdominis.

Autopsia cadaverum

In cadaveribus typho contagioso extictorum hucusque nil prorsus defagi poterat, quod morbi peculiarem sedem et indolem clare indicare posset. In ejusmodi cadaveribus saepe vel nullae, vel tales inveniuntur mutationes, quae alias in cadaveribus febri putrida aut apoplexia peremptoria inveniri solent. In cavo cranii signa plerumque detecta, factae exsudationis serosae vel sanguineae, congestionis sat validae, imo et signa apoplexiae inveniebantur; major humerus sectionum apertam symphoresin et factas exsudationes extra medullam cerebralem in meningibus ostendebant, nec non congestionis ad membranas mucosas et quidem in toto harum membranarum territorio signa monstrabant, effectusque irritativi status vel paraphlogoseos membrana-

*) Kritische Blicke auf das Wesen des Nervenfeuers und seine Behandlung von Dr. Carl Weinhold Dresden 1814.

**) Einige Blicke in die Lehre von Enzündungen und von Gliedern überhaupt u. s. w. Darmstadt 1814.

rum mucosarum, tum viarum aërearum tum aësophagi, ventriculi — imprimis circa cardiam — et tubi intestinalis; — gastro — enteritidis. Sanguis magis venosus et dissolutus, intestina omnia admodum mollia, quod praecipue de hepate valet. In eute, ut exanthematis sede, nulla propria mutatio.

Natura seu causa proxima typhi.

Plures dantur circa essentiam morbi, a primo Medicinae cunabulo ad nostra usque tempora prolatae hypotheses, valore pratico plus minus destitutae. Omnes vero in duplēm ordinem facile redigi possunt; alteram nimirum, quae ex materialismo, alteram vero quae ex puro dynamismo scaturientes hypotheses in se recipit.

Materialistarum plures, uti Galenus, Sydenham, F. Hoffmann causam typhi proximam in putredine — alii horum in acrimonia sanguinis quaerunt —

Alii neotericorum chemicam decompositionem principii nervi qua typhi causam proximam accusant.

Dynamistarum alii, essentiam morbi reponunt in astheniam — alii in defectum oxygenii — plurimi vero in inflammationem cerebri et nervorum; Hildendorfius causam proximam reponit in statum irritativum membranarum mucosarum, quae inflammatio nervis sese et sensorio communicat. Kiesser sedem morbi ponit per eminentiam in sistema nerveum et vasculosum. Jörg qua causam proximam typhi agnoscit nimiam activitatem cerebri et nervorum, quae excessiva majori minorive gradu reliquis partibus corporis humani sese communicat, et communicare debet, cum nervi substantiae omnium organorum intertexti sint. Reuss naturam morbi quaerit in specifica cutis inflammatione, quae imprimis systema occupat capillare, quacum una incedit inflammatio arachnoideae. Hancce septentiam amplexi sunt Raimann Omodei;

Fuchs, Berndt, Frank, qui inflammationem quam causam proximam typhi negat, illam sub typho vel unacum incedere posse concedit. Ejusdem opinionis sunt **Hufeland, Horn, Armstrong** et alii.

Valedicendo omnibus ceterum hypothesibus ad typhi naturam intimam illustrandam minus idoneis, via est quaerenda et modus, quo ad cognitionem naturae morbi omni attentione nostra dignissimi perveniamus. Inter reliqua, quae observavere medici adminicula, primas tenent partes cadaverum lustrationes, sedula et solerti manu institutae. His autem, ob inventa vestigia prægressae irritationis vel inflammationis, abunde constat, typhum omnino magno cum disu ad inflammations tam cerebri et membranarum suarum, quam aliorum viscerum procedere; quoque sectiones solerter institutae sat clare evincunt, in cadaveribus ante octavam typhi decursus diem extinctorum veram detegi inflammationem; — serius vero pereuptorum cadavera, producta inflammationis, exsudationes, concretiones manifestare.

Alia est ratio typhi naturam investigandi ex symptomatum sedula observatione velita.

Incipit nimirum typhus more aliarum febrium cum horrore, sed raro frigus eum attingit vehementiae gradum, qui veram concomitant synocham, vel inflammationem. Dolor capitidis plerumque vehemens; alias vero mitis, obtusus, non pulsans. — Delirium — typhomania — mite taciturnum vel sopor. — Haemorrhagiae levant symptomata typhi; — hae vero etiam in morbis inflammatoriis sese praestant salutiferae, et in congestionibus activis.

Magni momenti porro ad eruendam typhi naturam præbet contemplatio remediorum juvantium et nocentium in typho.

Primitus medicinae temporibus medicii idiomate typhi varias aegritudines denominantes certam et rationalem therapiam instituere nondum potuerant. — Seriori tem-

pore, grassante typho, hypothesibus variis, varia et imbecillis superstruebatur therapia. — Anno 1815—1816, grassante per totam fere Europam typho, diaphoretica remedia calida in auxilium ducta fuerunt.

Hispanici medici renae sectiones suadebant. Forest eductiones sanguinis locales cucurbitularum ope scarificatarum præferebat; — venesectiones ad illos saltem casus reservans, ubi plethora una cum inflammatione urgebant — eamque nonnisi primis morbi ingredientis horis instituens, quum observaverit, quod omnes aegri, quibus morbo jam proiecto vena secta est, morbi certe certiusque traditi fuerint. En observationem, quae sat clare synochalem typhi sub principio characterem declarat, simulque celerem ejus in veram debilitatem transitum. — Caynati experientia edocet, jam anno 1590., antiphlogisticam suadebat medendi methodum. Eadem sentiunt Lotich, Daniel Sennertus, Fried. Hoffmann, Pringle. Ultimes, febris carcerariae characterem inflammatorium, graphico describens, curam instituebat summe rationalem, congestione enim caput versus magna, hirundines ad caput adposuit, interne nitrum; symptomatis argentibus gastris emetica porrexit, transundo serius ad Sal. C. C. volatile et Camphoram. Ad typhum exactius cognoscendum, ultimis decenniis nostri saeculi, contribuere greges militum, obsidiones urbium, castra, proelia, bello omnes fere Europae regiones devastante; ubique enim locorum, ubi flamma bellii exardescet, typhus, fidus miseriarum bellicarum comes, adparuit, miseriam miseriae addens. Huiusc typhi universalitati observationes tam multas egregie factas medicorum debemus. Sufficiat hic præstantiorum saltem mentionem facere. Hufeland annis 1806—1807. epidemiam observavit in Polonia et Borussia grassantem typhi cum charactere putrido: qua ex causa remedia antiseptica, stimulantia in medendo occupabant partes. Aliani offert imaginem epidemia illa,

quam Illesland annis 1812—1813. observavit. Vinum et excitantia apertam ferebant noxam, epistaxes continebant cum levamine, venesectiones, hirudines et remedia refrigerantia summas ferebant suppeditas. Elapso vero die septimo debilitas comparans, remedia expostulavit stimulantia, mervina. Consonae observationes referentur ab Hartmann; Hildenbrand Jörg, Bischoff, Dzondi, Percival e. p. a.

Decursus porro typhi naturae ejus non parum affundit lucis. Observatio strenua nimiron nos docet, typhum curriculum quatuordecim explere dierum, durationem hancce in duo aequalia disparitatem esse stadia: in primo characterem praeferre typhum synchalem, in altero nervosum; stadium primum mox esse brevius, mox longius; — typhum qua morbum inflammatorym proclamare neque erroneum, ac ejus defendere characterem nervosum. Character nervosus inflammatorym excipiens nequaquam productum absolutum praegressae inflammationis sistit. Esseculta typhi iu febri typhum concomitante non est quaerenda, nam febris haec nil offert characteristici, quo ab aliis distingueretur febribus contingenit, nam febris nonnunquam levendi summam periculum morbus portendit. — Affectio sub ipso typhi exordio sensititatis satis evidens abstrusorem inquietam morbi indicat. — Contagium ipsum ad systema nervosum primarie allidere, ejus functionem liberam perturbare videtur, licet modum, quo hoc fit, ignoramus; res enim adeo occulta et incomprehensibilis, ut processus vitalis ipse. — Vero similis et cadaverum illustrationibus sedulo institutis clarior redditus, est influxus contagii thyphosi ad nerveam massam. Defectio enim Weinholdii emollitionis in massam pulvrae nervorum ren adhuc probabiliorem facit. Vita instarpe sua offensa, activitate ejus in omni dimensione immunita et cohibita, vel plenarie extincta reproductione nerveae substantiae, existentia vitae denegatur.

ulterior. Ex hac causa aequa mors subitanea, quam typhus malignus inducit, explicatur.

Ex his circa naturam typhi contagiosi exanthematici abunde patent caligines, quae rem adeo momentosam hucusque obnubilant; sufficiet vero medico prudenti, observationes ab omni aevi factas a viris in remedica versatissimis ab omni secta alienis venerari, horum animadversiones et medendi methodum, quam hosti adeo rebelli opponunt, grato animo sequi; omnibusque demum hypothesibus valedicendo, unanimiter consiteri: Typhum sistere morbum febrilem exanthematicum contagiosum sui generis, cujus symptomata essentialia sub exordio in simplici inflammatory-catarrhosa vel gastrica — serius vero in febri nervosa cum delirio, stupore, peculiari exanthemate et eminenti hepatitis affectione fundantur.

Diagnosis.

Sufficit medico vel seinel tantum morbum istud periculosum vidisse, ut eum semper praeceteris cognitum habeat. Ardua vero illius cognitio illis omnino esse debet, qui eum nunquam viderint; pauca hinc, sed essentialia et summe characteristicia addueam typhi symptomata, quae tuto ac facile tironem ad illius diagnosis veram ac perfectam ducent. Suntque haec.

Praeter genium epidemicum — certa ac determinata morbi stadia, quae prolongare aut in decursu suo abbreviare nequaquam et nullo modo in medici est potestate; singularis aegri, verbis vix describendus asperetus, aspectui hominis inebriati haud assimilis; caput vertiginosum, reclinatum, et aesi plumbeum esset, lectulo impressum; stupor insignis, summa aegri erga res externas indifferentia; dedolatio ac nullo modo superanda ignavia; signa catarrhi; affectio hepatis; praecipuum vero et maxime characteristicum in hocce morbo signum sistit, proprium illud exanthema typhi,

sum in stadio inflammatorio jam comparens; parotidum tumor, affectio systematis sensiferi, morbum a prima statim exordio usque ad serum illius finem concommittans, hinc summa virium prostratio, sensus angoris et facultatum mentalium languor, quae symptomata mox vehementia aucta, gravissimam systematis nervosi et sensorii communis laesionem inducunt; accedit deliriū, typhomania. Haec nunc enumerata symptomata, totidem sistunt typhi characteristicā, medicū, tuto ac infallibile, ad statuendam veram illius diagnosin ducentia signa.

Ad diagnosim typhi adhuc magis confirmandam, non superfluum mihi videtur, praecipuos adsignare morbos typho contagioso analogos, ut ex sincera horum morborum inter se comparatione, prodeat tandem lorū ab invicem.

Distinctio ac ultima differentia.

Sunt autem morbi pro typho contagioso illudentes sequentes:

1. Morbilli, 2. Febris nervosa simplex, 3 Febris nervosa putrida, 4. Pestis orientalis. Haec omnia primo quidem intuitu typhum contagiosum simulare possent, ast rem accuratius considerando, singulaque horum morborum phoenomena rite computando facile eruitur, quae inter nominatos morbos ac typhum intercedit differentia. Verum quidem est.—

Magnam offerre morbillos cum typho similitudinem; attamen longe aliud in morbillis observatur exanthema ac illud est, quod typho proprio convenit; ibi maculae supra cutim sunt elevatae, asperae, in facie quoque apparentes, laete rubrae, inque medio saturatiū linctae, non tam facile confluentes, tertia febris die jam adparent, suntque cum cutis serius tensione et faciei tumore junctae; hic vero in exanthemate nempe typho recte contrarium contingit. Porro, et quod character-

isticum est, in typho symptomata quaedam uti capitū gravedo, temulentia, stupor, vertigo, magna in somnum proclivitas et sopor ab omni morbi initio ad ultimum illius terminum usque perstant; accedit his dolor ad hypochondrium dextrum, nausea, vomititiones, voritusque biliosus non allevans, artuum languor, et invincibilis ad motū inertiā, tandem situs neglectus, capite reclinato, stragulis profunde impresso, et proprieas et pecularis, verbis vix exprimendus aegri aspectus et odor; quae omnia autem in morbillis deficiunt. Collatis hinc singulis utrinque morbi phoenomenis facile erit typhum a morbillis distinguere.

2. Non minus facile medico erit, typhum a febri nervosa simplici distinguere, si perpanderit, febrem nervosam simplicem semper morbum sistere secundarium, e febri nempe catarrhalis, biliosa, pituitosa, vel exanthematica quadam evolutum, quod in typho non est; febris enim catarrhalo-gastrico-biliosa — exanthema et febris nervosa, quibus typhus sub decursu suo stipatur non morbos principales et a se invicem separatos, sed potius mera characteristicā sub certis stadiis illi convenientia sistunt symptomata. Typhus porro certa et determinata observat stadia, quae neque abbreviari sub decursu suo, neque prolongari possunt. Febris vero nervosa indeterminata non nisi percurrit stadia, et totus denique morbus rite cognitus et congrue tractatus, saepē in prima sua origine suffocari potest; dein febris nervosa nullo stipatur exanthemate, neque uti typhus contagium evolvit, neque hinc contagio ulro propagatur. Ex his omnibus igitur facile patet utriusque morbi essentialis differentia.

3. Typhus facile quoque cum febri nervosa putrida commutari potest; praeprimis tunc, si haec ex febri gastrico-biliosa orta fuerit; talis enim febris summa quoque cum virium prostratione, miseri humorū in colligationem et exanthemate quodam percurrit; ast ma-

gna intercedit inter typhum contagiosum atque inter febrim nervosam putridam differentia sequentibus demonstranda. Communissimum enim febris nervosae putridae oömitem sistunt petechiae, maculae nempe rubrae pulicu[m] morsibus similes, in medio saturatiu[m] rubrae ad margines pallidiores diversas a primo exordio usque ad plenariam extinctionem coloris mutationes subeuntes, sub digit[i] pressione nequaquam dispartentes et in vibices excurrentes, quae omnia simul sumta longe aliud indigitant exanthema ac illud est, quod cum typho occurrit; occurunt porro cum petechiis variae evacuationes colliquatvae, uti haemorrhagiae diversae ex diversis corporis orificiis, diarrhoea et sudores colliquativi; in typho vero exanthema, a petechiis multum aliquoquin differens, absque ulla colliquationis signis perstat.

Typhum contagiosum a peste orientali distinguere medico haud difficile erit, si ad characteristica et principalia typhi symptomata respexerit. Consistunt vera haec, praeter febrim inflammatoriam imperfecte nonnisi evolutam, paucis saltem horis durante[m], charactereque suo mutando in febrim nervoso putridam malignam cito ruentem; in vesiculis, anthracibus, carbunculis et bубonibus pestilentialibus. Haec vero omnia in typho desunt. Patet hinc ex hucusque dictis distinctio et ultima differentia inter typhum et modo enumeratos morbos.

Aetiologia.

In causam morbi inquirentes, eam duplēcē offendimus alteram nimirū disponentem, alteram vero excitantem.

Pro contagio typhi concipiendo, omnis quidem praedisposita esse videtur aetas, omnisque sexus — Infantes tamen lactantes tantisper demptos velim; nam experientia constat, hos non latus solum matris stipantes, communique lecto et tegmine provisos, sed

ipsa typho aegrotantis matris ubera sugentes, intactos persistere. Summa quoque aetas quid simile sibi vindicare videtur. Accedit, aut partem sibi aliquam vindicat adsuetudo. Medici, Chirurgi, aegrorum servitores et parabolanae diu immunes persistunt. Foeminae quoque gravidae, phthisici, et homines typhum iam semel perpassi, minorem ad huncce morbum offerunt dispositionem. Magis vero in eum proclives sunt homines debiles, cachectici, quoconque demum modo enervati ac exhausti, nec non illi qui teneram, mollem ac irritabilem possident cutim. Nihilominus tamen saepe recte contrarium evenit, et juvenes, fortes, ac vividi homines facilius quam debiles, fatali huic morbo succumbunt.

Ad causas excitantes seu occasio[n]ales referri me- rentur:

1. Ipsum contagium typhosum, quod contagii scarlatinae, variolarum, morbillorum etc. adinstar, semel positum ulterius quoque sese propagat, increscit, floret ac decrescit. Sed non semper modo hocce secundario, verum et modo primario, positis nempe genesi contagii hujus faventibus circumstantiis faustis, autogenetice exoriri potest. Contagium hocce ad fixa referri mereatur; elicetur enim per halitum ac transpirationem e corpore aegrotante, inhaeretque omnibus illius exercitamentis, praeprimis mucosis ac puriformis. Morbo vero perniciosior evadente, latiusque per majorem populi numerum grassante, contagium istud volatile reddi, et in aere quoque suspendi, summe probabile est. Unde possibilis infectio[n]is mediatae ac immediatae.

2. Non minus grave momentum causale pro typho contagioso sistit aer reclusus non eventilatus, variis effluviis paludosis, aut exhalationibus multorum hominum praeprimis aegrotantium in parvo spatio inclusorum contaminatus, impurus; unde est, quod typhum tam frequenter exoriri videamus in urbibus obsessis,

in navibus, militibus refertis, carceribus, ergastulis, nosocomiis, in castris ad paludes vel ripas aquarum stagnantiis, ventis perflantibus non expositis, in contuberniis; in conclavibus, pluribus hominibus imprimis immundis repletis, nti in tuguriis pauperum, officinis opificium immunda opera tractantium.

3. Calor tepidus, humidus, quo cutis relaxatur, illius reactio infringitur, et susceptio fomitis contagiosi facilitatur.

4. Penuria, inedia, fames, vicius perversus, nutrimenta et potilenta corrupta; defectus vestimentorum, variii animi affectus, tristitia, moestitia, vitae taedium, despensio ac desperatio ad genesis morbi suam quoque contribuant symbolam.

Prognosis.

Typhus contagiosus, cuius natura nos adhuc latet, ob magnam decursus versabilitatem obque clandestinam astutiam ante crisi nonnisi ancipitem admittit prognosin. Tristis enim experientia docet, typhum saepe sub apparenter mitioribus signis mox et ex inopinato tantum assequi vehementiam, ut parum spei de recuperanda sanitate adfolgeat. Imo sub stadio convalescentiae adhuc metastases ad organa et viscera nobiliora timendae sunt.

Ex singulis et separatis signis nil certi in prognosi statui potest, plura enim simul sumta ac inter se comparata, prognosin vel faustum vel infaustum reddunt.

Infaustum morbi exitum praedicant sub stadio inflammatorio-catarrhoso, symptomata gravem inflammationem cerebri et illius membranarum, pulmonum, hepatis aut ventriculi, indicantia; praecox linimento rum faciei alienatio, magna variebilitas et contradictione in symptomatibus; functiones sensorii communis morbo

vix evoluto labefactatae, praecox stadij nervosi evolutio vel irruens putredo, nec non diarrhoea effrena.

Sub stadio nervoso tristissimum morbi exitum praedicunt vehementia, pleno numero, magna intensitate et tumultuosa eruptio symptomatum nervosi vel putridi characteris — sic et stupor summus, minitansque undequaque resolutio materiae organicae viribus ad infimum relapsis. Periculosisimum signum in aegris Pneumonide simul detentis est dolor pleuriticus ad diem 8, 9 vel ad 10 usque protractus, cum spūtis sanguine nigro mixtis. Stertor, spiritus trahendi magna difficultas; nec non symptomata perdurantis Enteritidis, et color plumbeus nasi, aurium et digitorum ad funestissima quoque pertinent signa.

Sub stadio criseos decrementi et convalescentiae periculum magnum saepe adferunt inflammationes parotidum metastaticae, cum facile in suppurationem eamque protractam habeant, quo facile evolutione febris hecticæ datur occasio. Sic quoque metastases ad nobiliora viscera ominosa adferunt signa. Haec varia morbi consectoria viibus jam labefactatae vitæ scintillam ex morbo atroci reliquit mox penitus extinguunti.

Feliciorem exitum vero promittunt sensorii communis obrutio minor, aegrorum sub ipso stadio nervoso ex somnolentia cito et facilis expergefactione, siue conscientia illibata, vomitus primis diebus seclusus allevans, vertiginem ac cephalaeam imminuens; epistaxis spontanea diei 4, 7 secutai. Spectant porro ad signa bona diarrhoea primis diebus modice ruens, sitis modica, lingua humida sub stadio nervoso, tuisis rarae exanthema laete floridum.

In genere meticulosi, timidi, pusillanimi, moesti, inopia et inedia exhausti, laboribus diuturnis, morbis paulo ante gravioribus exanthatis, praeceps vero syphilide venerisque excessu nimis debilitati, dein senectuli,

potibusque spirituosis nimis dediti, item gravidae et puerperae morbo atroci facilius succumbunt; minori cum periculo et felicius morbi injuriam effugiunt foeminae quam viri. Aegri minus timidi, phlegmatici animoque quieti facilius convalescunt.

Therapia.

Quatuor in hac morbi cura exsurgunt principales, indicationes nimirum:

1. Contagium typhosum destruere.
 2. Receptivitatem in aliis hominibus contra contagium imminuere eosque ab omni infectione immunes servare.
 3. Homines typho correptos sanare.
 4. Regenerationem illius impedire — morbosque posthumos juxta eorum naturam tractare.
- Imperatur primum per continuam aeris renovationem ope ventilationis frequentius institutae; per inspersiones ope aquae frigidae; per fumigationes cubilium, per citam omnium materierum excretarum actionem, omniumque rerum sumnam mundationem.
- Instituantur vero fumigationes:
1. Aceto communi, si illud in patina lata expostatur ad fornacem calidam, aut patella aceto plena lampadi succensae superponatur, aut vero eodem acetone cubile conspergatur.
 2. Acido nitrico, ea tamen cum cautela, ut omnia metalla e cubili efferantur, quae vero efferri non possunt, sebo, oleo, aut alia pinquedine illinantur. Fumigatio haec sequenti suscipitur modo: funditur ad patellam super arena calida positam acidi sulfurici uncia semis, quod bacillo vitro, aut ferreo agitatur, sub agitatione continua additur nitri puri pulverisataeque uncia semis. Patella mixtum hoc continens ponitur ad mensam, et pro lubitu tabula vitrea obtegitur, tunc nempe, si jam fumus aegro molestus evaderet,

Cessante evaporatione, tota massa exagitatur bacillo vitro, quo facto rursus spargit vapores.

3. Acido muriatico oxygenato, quod hoc scopo sic adhibetur: Accipitur calcaria chlorica ad unciam unam, et distinctim eadem quantitas sulfatis lixiviae aciduli, atque e singulo pulvere accipitur quantitas, quam cochlear coffeatum capit, impunitur patellae vitreae, aut porcellaneae, aqua dein massae huic tepida affundatur usque consistentiam pulvis mollieris, hanc pultem terendo bacillo vitro, evolvitur chlorina. Dum talis fumigatio suscipitur, portae ac fenestrae per unam alteramve horam clausae serventur.

Secunda indicatio ex parte medici et omnium aegrum proxime circumdantium impetrabitur per vitam sobriam ac moderatam vivendi rationem, per sustentationem vi- trium vitalium et totius processus vitalis in suo vigore, per animum erectum, bilarem, intrepidum, denique per evitatem cujusvis excessus, hinc fugienda et arcenda omnis evacuatio et jactura humorum nobiliorum uti sanguinis, seminis virilis. Summa vero in specie pro medico exsurgit necessitas, ut non meticulose, sed officii sui memor et summa cum fiducia in artem suam intrepide potius aegrum accedat, fugiat tamen omnem apud aegrum commemorationem longiorem, neque halitum, neque materierum excretarum vaporibus sese exponat. Idem praeter medicum de sacerdotibus quoque ac omnibus illis valere, qui vi ipsorum muneric aegrorum e typho contagioso decubentium curam gerunt, per se jam intelligitur. Notandum praeterea ac monendum est, ut nunquam aegros accedant ventriculo jejuno, os praeterea atque nares aceto quopiam aromatico eluant, quin imo ex eodem aceto parvam deglutiant quantitatem, accedant aegros nonnisi tunc, postquam ventilatio atque fumigatio cubilis suscepta fuissent. Vestimenta sua, quae levia tantum sint, quotidie vaporibus sulfuris exponant. Parrot quā praeservativum

suadet: manū jejunio stomacho bibitur poculum aquae, cui infusa fuit tanta quantitas aceti boni, quantum cochlear cibarium unum capit, post duas circiter horas sumatur pro jentaculo caro assata, frigida cum poculo boni vini. Terminata cum aegro conversatione, in ipso adhuc aegroti cubili, manus et facies aceto vini, quin abstergantur, abluendae, abstersio tamen domi tantum fiat, ubi simul vestes deponendae aerique exponendae erunt. Si quis non obstantibus his cautelis, tamen se contagio typhi infectum sentiat, tunc is ante omnia manus, faciem, nares, aures et os aqua frigida aceto mixta eluat, vestes mutet, corpus universum perfricet panno aspero, vel setaceo molli, mox illud abluat vino frigido, post haec adhibeat balneum tepidum, quo finito, universum aqua frigida perfundi curabit corpus.

Porro ad arcendum transitum contagii ad alios, quam maxime curandum est, ut aeger typho laborans, n̄ cubili separato decumbat, omnesque, qui ei pro servitio destinantur a contractū ceterorum arceantur.

Tertia ac principalis indicatio, ipsius morbi curam expostulat. Quoniam autem veram typhi naturam adhuc ignoremus, indicatio hinc pro therapia sistenda ex solo morbi gradu atque stadio desumenda, habito tamen summo respectu febris ac illius characteris, aegrotantis constitutionis, symptomatum periculosorum et morbi complicationum.

Morbi vel sub schemate catarrhosae, vel gastricae febris adparentis stadium primum manifeste inflammatorum vel saltem irritativum methodo antiphlogistica oppugnari opportet;—sed experientia sancitum et tantoties reiterata observatione comprobatum est, typhum rigorosiorēm apparatum antiphlogisticum raro exigere. In genere, primo sub stadio, habito simul respectu organi affecti, in auxilium tracta methodus antiphlogistica alterans, eventu utplūrimum coronatur faustissimo.

A Celeb. Cullenio, Hildenbrand, Hartmannu Bedingfeld, Percival e. p. a. sub exordio morbi collaudata emetica nonnisi absente omni phlogosi, persistante gastrictismo, saburra mobili, sursum tendente in auxilium bono cum effectu duci possunt.

Lotiones et perfusiones cum aqua frigida a Wright, Currie, Home, Marschall, Brandis, Reuss o. p. a. laudatae, sub nimia systematis arteriosi activitate, calore urente, cute sicca, capite fervente, doliciis furiosis, et iusigni encephali affectione, sensu ardoris interni intolerabili, pulsibus frequentioribus ac suppressis, praestantissima summisque levamen adferentia sistunt remedia.—In hunc scopum negri cutis, aqua plus minus frigida vel spōngiae ope obluitur, vel vero aqua aegro in labro versanti bis terve dā die superinfunditur.

Sudoribus vero intrantibus, praesente meteorismo, horribus cutaneis subque vera debilitate, incipiente liquatione et virium labefactatione, lotiones cum aqua frigida nunquam instituendae; sub hisce enim rerum circumstantiis remedium istud alias vere divinum perniciosissimum ac summe deleterium evadit.

Praeter hucusque memorata remedia summum quoque respectum sibi exigit Radix ipecuanhae in typho praeprimis cum diarrhoeis frequentibus.—Adhibetur vel forma infusi ad grana sex, decem de die vel in decoctis mucilaginosis, vel denique forma pulveris ad quartam unius grani partem omni bihorio; remedium enim hocce ab vim illius specificam in plexum gangliarem coeliacum, diarrhoeam facile sistit, obnubilationem et capitis gravedinem imminuit, unacum activitate cutis restituta cutaneam promovet transpirationem.

Affectioni catarrhosae in primo stadio satisfacit apparatus antiphlogisticus habito respectu perturbatae et restrictae catis functionis et organorum secernentium activitatis.

Congestione sanguinis majori, calore aucto pulsus que veloci, locales instituenda sunt sanguinis depletiones, hirudinum aut cucurbitularum cruentarum ope, interne mucilaginosa, emollientia decocta cum nitro. Languentem cutis functionem tart. emet. refracta dosi et sal amonicus, qua remedia alterantia benigne evenunt.

Praesentibus Encephalitidis ingruentis symptomatis, ex stupore incresente, adducta capitis gravidine, sensum obnubilatione, majore faciei rubore ac calore carotidumque pulsatione cognoscendis, hirudines numerosae ad caput, ad regiones temporales et retro aures adipicandae sunt; hac ratione plenaria encephalitidis verae evolutio optime praecavetur.

Charactere typhi-gastrico, ex humoribus vel inquinatis accumulatis, vel forinsecus labente reproductione non digestis alimentis exerto; methodus in auxilium vocanda est antigastrica, solvens, quae processum reproductionis alteratum ad normam iterum reducit, secretionem emendat ac normalem materiae organicae metamorphosim promovet. In hunc scapum optime cedunt: Tart. tartaris. Arc. duplicatum tart. emet. refracta dosi, cum decoctis solventibus graminis, taraxaci, cichorei etc. Symptomatis gastricis mitigatis, superstite languore, deficiente simul energia organorum reproductionis, cognoscenda nimirum e lingua muco obiecta, sapore limoso, ructibus, alvo relaxata, pulsus suppresso, plenusculo, remedia leniter incitantia cauta, ceterum manu exhibenda sunt, uti infus. rad. caryophylatae, aconi etc.

Cura stadii secundi seu nervosi.

Sub hocce stadio nimia exsuperans activitas systematis nervosi compescenda et retropulsa vel suppressa activitas circulatorii liberanda et eyhenda,

debitaque proportio ac harmonia inter ambo haec systemata iterum restituenda est.

Remedia sub hocce rerum statu adhibita, gradui semper morbi et proportioni huicce inter systema nervosum et arteriosum obtinenti accommodanda sunt. Flores et radix Arnicae, cujus vis immediate nervos ferit, ad organon reflectitur centrale nervosum; antagonistico modo agens remedium, irritationem systematis gangliaris provocans, actionem systematis cerebralis liberando, simulque qua reserans stases ex nimia sanguinis in visceribus abdominalibus accumulatione. Flores exhibentur alvo restricta — alvo vero diarrhoeica radix arnicae in usum trahitur.

Camphorae divinam imploramus opem cute et lingua sicca, viribus muscularibus penitus prostratis, pulsus celeri, parvo, minus duro; absente omni argasmo versus Encephalon, facie pallida, oculis retrolapsis profunde sitis, deliriis absque signis symphoresis versus caput et pectus activae; camphora vero illico seponenda est, si calore sicco aucto intrat exacerbatio omnium symptomatum, pulsus, tenso, duro, uti et sublocali congestione vel inflammatione partiali; quo substatu, depletione sanguinis locali praemissa, calomel cum ipecacuanha refracta dosi ad quartam vel dimidiam grani partem omni secunda vel tertia hora exhibenda, simulque remedia emollientia subministranda sunt.

Remedia externa sic dicta epispastica, emplastra cantharidum summam in typho contagioso sibi explicant laudem, Adlicantur vero in stadio nervoso, sub magna capitum temulentia, vertigine; magna virium prostratione et cutis siccitate. Adfectione urgente locali organo prehenso quam proxime adponantur, alias ad nucham, suras, ad brachia et femora adlicantur. Maximi porro momenti in hoc morbo sistunt clysmata emollientia et stimulantia. Frictiones, lotiones spirituosa cum vino, spiritu vini, camphorato. Valnea, somenta

aromatica sicca et humida. Magnam quoque virtutem exerunt sacculi, herbis aromaticis vino coctis, abdomini appliciti. In incipiente decubitu cataplasma emollientia, eodem vero jam evoluto, lotiones spirituosa, unguenta stimulantia in usum trahuntur. Parotitides primum hirudinibus aliquot, dein cataplasmatibus emollientibus tractandae; abcessu maturato, ni periculum urgeat, apertura naturae committenda.

Morbo decrescente et evigilante vi reactrice — remedia stimulantia cum roborantibus, digestionem utpote labefactatam erigentibus, uti inf. caryophill. Calam. arom. etc. commutanda erunt. Viribus ad normam redire cunctantibus, reliquo ob vehementiam morbi magno languore omnium virium et functionum, fibra relaxata, sudoribus exortis nocturnis largis, pedibus aedematosis, pulsu exili, sat vigente vero officina digestrice radix Chiae principale ac efficax sistit remedium roborans restauransque.

Sub stadio reconvalsentiae ad auferendam omnem debilitatem et ad vires erigendas lotiones spirituosa et sommenta aromatica vinum generosum praeprimis Tokaiense aut hoc deficiente guttulae roborantes extinctura corticum aurantiorum et liquore anadyno min. Hoffmanni ana constantes utilia erunt. Praegressa affectione pulmonum sub hoc stadio usus Polygalae senegae viribus detritis restaurandis e re esse videtur.

Vitia postuma, juxta naturam morbi, quem constituunt tractanda.

En medendi methodum simpliciem typho regulariter recurrenti debellando parem.

Typho vero a recto tramite decursus sui de flectente, alia etiam therapia anomalies devincendae idonea summa cum prudentia instituenda erit. Peculiarem attentionem respectu medelae sibi expostulat typhus nervosus dupli sub forma, vel qua typhus nervosus stupidus vel qua versatilis decurrentis.

Typhus versatilis oppugnandus est remedii, quae circulationem evehendo nervosam compescunt activitatem energiam hujus systematis evehendo. In hoc casu optimo cum successu adhibere vidi infusum Valeriana cum spiritu C. C., camphoram ad grana quatuor vel sex die, aetheres etc.

Typhus stupidus cum prostratione peculiaris systematis circulatorii procedens, hujus sphaerae evectionem una cum liberatione sensorii communis sibi expostulat. Priorem in scopum inservit. Valeriana, angelica, Spiritus C. C. Camphora etc. Affectioni alteri Arnica et vesicantia suppetias ferunt.


Typhum characteris putridi debellant: Cortex peruvianus, cum aromaticis herbis et radicibus antisepticis, Valeriana, Angelica, arnica, tintura aromatica acida, camphora, per vim his remedii innatam, reactionem organorum prostratam erigendi, tonumque normalem fibrae organicae restituendi.

Inter antiseptica acidum oxygenatum muriaticum dilutum ad drachmas duas unciamque semis in libra una decocti salep principem occupat locum.

Typhus cum synocha therapiam exigit antiphlogisticam generosiorem, ea tamen cum circumspectione, ut vires perinde non nimis debilitentur, ut recte Cellerimus ab Hildenbrand monet „die Heilart muss jetzt strenger entzündungswürdig, und die auch länger anhaltend werden; doch muss der Arzt immer das künftige nervöse stadium vor Augen haben, welches noch unausbleiblich nachkommt; er muss deshalb die Kräfte weit behutsamer schonen, als in einem andern Entzündungsfeier, welches geradezu in die Reconvalsenz übertreten kann“ hinc sub usu remediorum refrigerantium una alterave venesectione ad morbi vim infringendam sufficiet. Praesentibus vero localibus inflammationibus, venesectiones eo usque iterare licebit, donec omnis turgor localis disparuerit.

In typho cum pneumonide, pleurite aut Itae-
moptoe complicato veneseccio cum mucilaginosis unicum
vix ullo alio excludendum sistit remedium.

Postquam typhus contagiosus lethifera deposuerit
arma, ejus regeneratio impedienda erit, itaque cubile,
in quo aeger decubuit, ventilandum, parietes dealba-
ndi, pavimentum aqua primum fervida, tum frigida elu-
endum, utensilia, vestesque, quae mundari non pos-
sunt, flammis tradenda, aut terrae mandanda. Recon-
valescentes, post morbum superatum longiori adhuc
tempore a consortio sanorum arcendi erunt.



Theses defendendae.

1. Natura saepe et morbum et perversam medendi
methodum vincit.
2. Mors realis in natura non existit.
3. Cuique organismo morbi seminum innatum est.
4. Lac sanae matris, optimum infantis nutrimentum.
5. Mater crudelis propriae proli ubera absque causa
sufficiente denegans et sibi et proli male consultit.
6. Nullum in medici manu venenum.
7. Dantur in sanguine acrimoniae.
8. Diaeta est cardo medicinae.
9. Medicus operator, uterum extirpando, et vitam
plerumque extirpat.
10. Intermittentes absque cortice sanatae, rarius re-
cidivant.
11. Emeticam in febribus adynamicis optimum et uni-
cum saepe remedium.
12. Errant, qui omnem febrim nervosam torpidam
typhum nominant.
13. Typhus contagiosus est morbus sui generis.
14. Aetatis adultae morbi, plurimi ex abdomen.
15. In feminarum morbis tractandis, plus prudentiae,
quam scientiae requiritur.
16. Prava educatio uberrimus morborum fons.